Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aduersum me appropinquauerunt et steterunt. Et qui uicina me erant delonge steterunt et uim faciebant qui querebat aiam meam. Et qui inquirebat mala michi locuti sunt uanitates. et dolos tota die meditabant. Ego autem tamquam surdus non audiebam. et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te domine speraui. tu exaudies me domine deus meus. Quia dixi ne quando supgaudeat michi inimicus meus. et dum commouentur pedes mei super me magna locuti sunt. Quoniam ego in flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo et cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei uiuunt et confirmati sunt super me et multiplicati sunt qui oderunt me inique. Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant michi quoniam sequebar bonitatem. Non derelinquas me domine deus meus ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum domine deus salutis meae.

Dixi custodiam uias meas ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis et dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me. et in meditatione mea exardescet ignis. Locutus sum in lingua mea. notum fac michi domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis est ut sciam quid desit michi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos et substantia mea tamquam nichilum ante te. Verumtamen uniuersa uanitas omnis homo uiuens. Verumtamen in imagine pertransit homo. et frustra conturbatur. Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea. et nunc quae est expectatio mea. nonne dominus et substantia mea apud te est. Ab omnibus iniquitatibus meis eruere me. opprobrium insipienti dedisti me. obmutui et non aperui os meum. quoniam tu fecisti. amoue a me plagas tuas. A fortitudine enim manus tuae ego defeci in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut aranea animam eius. uerumtamen uane conturbatur omnis homo. Exaudi orationem meam domine. et deprecationem meam. auribus percipe lacrimas meas. Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei. Remitte michi ut refrigeretur priusquam abeam. et amplius non ero.

Exspectans exspectauit dominum. et intendit michi. Et exaudiuit preces meas. et eduxit me de lacu miseriae et de luto fecis. Et statuit super petram pedes meos et direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum nouum carmen deo nostro. Videbunt multi et timebunt et sperabunt in domino. Beatus uir cuius est nomen domini spes eius. et non respexit in uanitates et insanias falsas. Quam multa fecisti tu domine deus meus mirabilia. et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annuntiauit et locutus sum. multiplicati sunt super numerum. Sacrificium et oblationem noluisti.